# HISTORIA DIPLOMATICA

# FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS I.

PARS I.

PARISIIS
EXCUDEBANT PLON FRATRES,
36, VIA DICTA VAUGIRARD.
MDCCCLII.

peccaverat nisi adjiciat ut resurgat in iniquitate propria moriatur, dilectum filium G. Sancti Adriani diaconum cardinalem, Apostolice Sedis legatum, virum providum et honestum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, ad vos duximus destinandum, vices nostras ei tam in spiritualibus quam temporalibus committentes ut confirmet in devotione nostra et regia fidelitate fideles, errantes revocet et in eos quos revocare non poterit, tam spiritualiter quam temporaliter aggravet manus suas. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur in Domino et per apostolica scripta mandamus quatenus legatum ipsum sicut personam nostram, immo nos in eo recipientes hilariter et honorifice pertractantes, que inter vos in spiritualibus vel temporalibus duxerit statuenda, suscipiatis humiliter et inviolabiliter observetis. Alioquin sententiam quam spiritualiter vel temporaliter tulerit in rebelles, faciemus, auctore Domino, firmiter observari.

Datum Laterani, kalendis aprilis, anno pontificatus nostri VII.

---

Romae, ap. S. Petrum, 4 octobris.

Innocentius papa Friderico regi Siciliae scribit se, receptis nuntiis quos ad se destinavit, ad ipsum remittere G. Sancti Adriani diaconum cardinalem, Apostolicae Sedis legatum, cujus consiliis de pace in regno stabilienda acquiescat.

(Edid. Brequigny, *Innoc. III epist.*, lib. VII, t. II, p. 549.)

Innocentius, etc., illustri regi Sicilie, etc. Regie celsitudinis litteras quas nobis per dilectum filium . . . abbatem de Refesia et Alb[ertinum] prepositum, adjunctis sibi venerabili fratre nostro Anselmo Neapolitano archiepiscopo et dilecto filio Thoma de Gaieta regio justitiario, destinasti, paterna benignitate recepimus et que significata sunt nobis tam per nuntios quam per litteras notavimus diligenter, gaudentes in eo qui est Dei virtus et sapientia quod de die in diem sicut etate, sic etiam sapientia proficis et virtute. Cum igitur ad honorem et salutem persone tue, regni

quoque tui tranquillitatem et pacem efficaciter aspiremus, misimus nuper ad tue serenitatis presentiam dilectum filium G. Sancti Adriani diaconum cardinalem, Apostolice Sedis legatum, virum providum et honestum, qui vice nostra illa tractet et agat que tam tibi quam regno tuo debeant expedire. Unde nos ea que per nuntios memoratos oblata et postulata fuerunt referimus ad eumdem, exprimentes ei nostre beneplacitum voluntatis ut, utrinque concessis que fuerint opportuna, pax procuretur et salus, ne miserabile regnum continuis guerrarum cladibus destruatur. Quo circa serenitatem regiam rogamus attentius et monemus quatenus ejusdem cardinalis consiliis et monitis acquiescas, sciturus pro certo quod nos qui pro defensione persone ac terre tue multos et magnos labores hactenus sustinuimus, grandes quoque fecimus ac graves expensas, nunquam tibi deerimus quin ad honorem et profectum tuum efficaciter intendentes contra malignantium incursus apostolicum tibi patrocinium impendamus.

Datum Rome apud Sanctum Petrum, IV nonas octobris, pontificatus nostri anno septimo.

---

Innocentius papa Willelmum Capparonem a quo nuntios cum litteris regiis recepit, hortatur ad absolutionem promerendam Apostolicae Sedis voluntati acquiescendo, monetque ut ad consummationem pacis cum G. Sancti Adriani diacono cardinale operam impendat efficacem. Romae, ap. S. Petrum, 4 octobris.

(Edid. Brequigny, *Innoc. III epist.*, lib. VII, t. II, p. 550.)

Innocentius, etc., nobili viro W. Caparoni spiritum consilii sanioris. Quoniam Marcualdus cum fautoribus suis excommunicationis fuit vinculo innodatus et tu ei pro posse favisti, mirari non debes si tibi antequam absolutionis gratiam merearis, salutationem et benedictionem apostolicam denegamus. Recepimus tamen benignitate paterna nuntios quos